



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi
Societatis Iesv**

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Rector valetudini eius metuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

monum aliqua subesse inflammatio videtur; sed eâ nocte vires illum destituere, & festo S. Laurentij die adeò iacuit debilitatus, ut singulis horæ quadrantibus fuerit refocillandus. Ille nihilo fractior animo, visitantes non minore tranquillitate accipiebat, quam si morbo nullo teneretur. Die Martis sub noctem Rector, periculi admonitus, postquam omnes valetudinario excessissent, Ioannem compellans rogabat, an, si Domino placeret in cælum eum euocare, aliquid molestiarum moraretur; Non, aiebat, mi Pater, nisi forte metus aliquis defecturæ charitatis inter Flandro-Belgicam Provinciam & Romanam, quando Belgij Patres, me socioque meo mortuis, in posterum fortè verebuntur huc Belgas mittere, desinetque paulatim vigere illa tam propria Societati communicatio. Ceterum, si Deo gratum fuerit me mori, scilicet quid faciat. Quanti autem mea interest, ego omnem Dei nutum paratissimus expecto: sed si mihi foret optio, migrare longè malim, quam remanere. Gauisus hac Ioannis responsione Rector, gratulabatur illi quidem tam promptâ migrandi voluntate, sed quo ad seres illa tangeret, optasset tam insigni virtutum exemplo Collegium suum non orbari: & quia valetudini eius metuebat, ægrorum Curatorem eiûsve socium noctem perungi-
lare

*Metus exi-
gus Ioan-
nis.*

*Rector va-
letudini
Ioannis
metuens.*

lare iussit. Sub quartam ergo noctis horam, cùm capere somnum non posset, Ioannes de Deo differere instituit. Valetudinarij curator pulsū venarum explorato, cùm vix micare deprehendisset, ad Ioannem, Nihilne, inquit, *Aegrorum Curator de tibi Pater Rector iniunxit? nam è re mihi fa- Viatico eū eturus videris, si cras manè sacro te Eucha- admonet.*

ristiq; pabulo recreaueris. An vt Viatico? excipit Ioannes: Ut viatico, ait alter; nam parum affulgere spei video. His auditis, Ioannes tam- *Latitia Ioannis au- dito mortis nuntio.*

quam iucundissimis acceptis nuntijs recreatus, Curatoris se collo circumPLICAT, stringit- que complexu; significans quanto animi gau- dio perfunderetur. Contrà commotus Ad- minister, in tantam se demisit tristitiam, vt erumpétibus idemtidem singultibus, vocem in verba formare non posset. Ioannes verò animum illi erigebat solando, hortandoque, non patienter modò, sed alacriter ferret: & Quin, inquit, læti nos comparamus; certè iucundiorem nuntium, maioremque læti- tiam numquam mihi poteras attulisse. Tum *Colloquiū cum Chri- sto.*

Christi crucifixi simulachrum petitum vbi manibus tenuit, sic affari cœpit: Domine, tu scis, te esse vnicum vniuersumque bonum meum quod in hac vitâ possedi, possideoque adhuc; sed, ô Domine Iesu, ne me nunc de- sere. His similibusque cum Deo colloquijs, ardentibus sanè, tempus extraxit; quibus au- diendis